

solita peccare, quibus peccandi praemium infamia est. hanc petunt omnes isti, qui, ut ita dicam, retro vivunt. ideo, Lucili, tenenda nobis via est, quam natura 19 praescipit, nec ab illa declinandum: illam sequentibus omnia facilia, expedita sunt, contra illam nitentibus non alia vita est quam contra aquam remigantibus. VALE.

SENECA LVCILIO SVO SALVTEM.

Itinere confectus incommodo magis quam longo 1 CXXIII
 in Albanum meum multa nocte perveni: nihil habeo
 parati nisi me. itaque in lectulo lassitudinem pono,
 hanc coci ac pistoris moram boni consulo. mecum
 enim de hoc ipso loquor, quam nihil sit grave, quod
 leviter excipias, † quod indignandum nihil <nisi> ipse
 indignando adstruas. non habet panem meus pistor: 2
 sed habet vilicus, sed habet atriensis, sed habet colonus.
 'malum panem' inquis. exspecta: bonus fiet. etiam
 illum tibi tenerum et siligineum fames reddet. ideo
 non est ante edendum quam illa imperat. exspectabo
 ergo nec ante edam quam aut bonum panem habere
 coepero aut fastidire desiero. necessarium est parvo 3
 adsuescere: multae difficultates locorum, multae tem-
 porum etiam locupletibus et instructis ad voluptatem

1 spec care A spectare Bp: corr. Erasmus² || 2 petunt corr. ex petuin B | ut p om. BA | retro Pincianus: recto BAp || 5 nitibus B¹p¹ ten super add. pallidiore atramento B nitentibus A || 6 remigantis pB¹ bu minus atrum super scr. in B remigantibus A || 8 inscriptio rubricata in BA, etiam litt. initialis in A || 9 confectus s confestus BA || 10 habeo A || 11 in lectulositudinem sed la super scr. atramento clariore B in lectulos lassitudinem A || 14 quod indignandum BA quam indign. (ut coniecit Pincianus) s. quod secludi voluit Buecheler | nihil nisi ipse s nihil ipse BA¹. nihil si nihil ipse Haase, nihil nisi Bartsch. vix traiciendum erit indignandum nihil, quod n̄ ipse || 15 meus s meum BA | pistor A | sed (set A) habe vilicus BA || 17 etiam] iam Haase || 18 retdet A || 21 fastidire BA malum fastidire s. conieci fastidire durū cf. ep. 18, 7. 119, 13 || 22 locorum s colorum B¹A¹ || 23 ad voluptatem P. Thomas, aduobus optantem BA. adversus optata con. Madvig, animi dotibus optata Io. Mueller